fatione ſequenti aliquid dicam. Noverint denique Lectores, novam Anaſtaſii editionem Romae proxime praeteritis annis ſuſceptam fuiſſe, jamque Tomum Primum prodiiſſe e typis Salvioni, elegantiſſimis ſane formis impreſſum, una cum Praefatione Clariſſimi Viri Franciſci Blanchini. Alterum Tomum Eruditi adhuc expectant.

Quod reſtat, refricare heic cogor argumentum ſtuporis ſimul ac indignationis, cui ſimile non tam facile reperias. Nempe emerſit non ita pridem, idque Romæ in ampliſſimo tot Doctorum hominum conſpectu, in Sacratiſſima Catholicae Religionis Metropoli, qui Venerabili Viro Joſepho Mariae Thomaſio paucos ante annos S. R. E. Cardinali dicam grandem impegit, quaſi is totum ſuſque deque verterit veritatis regnum, & praeſentiſſimo periculo expoſuerit Romanam Catholicam Eccleſiam, quod obiter dubitavit, num Anaſtaſio Bibliothecario tribuendae ſint Vitae Romanorum Pontificum, quae nunc etiam ſub ejus nomine prodeunt. Exploſa eſt peculiari Opuſculo Italice ſcripto, & Panormi hoc eodem anno 1723. typis edito, tum haec plane ridenda calumnia, tum reliquae, quibus religioni non habuit Acculator famam impetere hominis ob egregiam ſanctitatem morum, aeque ac propter ſingularem eruditionem, modeſtiam, ceteraſque animi & ingenii virtutes aevo noſtro revera Eminentiſſimi. Atque haec ſane, ut novi, cordatis omnibus ſtomachum moverunt: & quid aliud, amabo, praeſtare poſſint? Moverunt & mihi mirum in modum. Ignominiam quippe noſtrorum temporum duco & naſci & ferri inter nos literarum cultores, qui talia audeant vel in ipſa ſplendidiſſima ſacri Cardinalium Collegii, & univerſae Catholicae Eccleſiae lumina. Profecto ne hilum quidem Apoſtolicae Sedi obſit, ſi vel integer ille Liber, alioqui vetuſtiſſimus, magnique faciendus, Anaſtaſio abjudicetur; abjudicarunt autem in ipſa etiam Urbe praeſtantiſſimi Viri, Venerabili Thomaſio praeeuntes, aut ipſum ſequuti. Sed intelligat tamdem, ſi potis eſt, Centor ille veritatis amorem ac ſtudium conſtituere, & conſtituere debere unam ex praeclarioribus Eccleſiae Orthodoxae, Sediſque Apoſtolicae praerogativis. Aſſentatores illa non amat; falſa ac ficta omnia abhorret; ac potiſſimum execratur, qui ex livore, facilique ingenii ſui prurigine crimina innocentibus creant, & veritatem e Catholicorum caſtris eliminatam incautiſſime volunt. Sed haec ſatis ſuperque.

LECTO-